Weil aber die Reichweite des menschlichen Geistes unbestimmbar und unauffindbar ist, ist es unmöglich, genau zu zeigen, wo die Grenzen der Offenbarkeit des *verum* aufhören, und wo die Undenkbarkeit des *actus essendi* anfängt. Der menschliche Geist geht also fatal über seine letzten Möglichkeiten hinaus und beansprucht unvermeidlich, daß für ihn die Identität des Denkens und des Seins möglich sei, daß das Unausdenkbare erreichbar sei. Dies ist das Abgründige in dem berühmten Satze „ens et verum convertuntur“. Und Thomas weist darauf hin, daß dieses Abgründige ständig die größte Gefahr für die Philosophie war und bleibt. Seine Kritik gegen die Vorsokratiker, Platon und Avicenna betrifft gerade diesen Punkt: die nichtgestattete Identifizierung des menschlichen Denkens und des Seins. Was wirft Thomas den Vorsokratikern vor? „*Hoc enim animis omnium inditum fuit, quod simile simili cognoscitur. Existimabant autem quod forma cogniti sit in cognoscente eo modo quo est in re cognita*“ (S. th. I, 84, 2, c.). Aus demselben Grunde lehnt Thomas Platons Grundgedanken ab: „*Videtur autem Plato in hoc deviasse a veritate, quia, cum aestimaret omnem cognitionem per modum alicuius similitudinis esse, credidit quod forma cogniti ex necessitate sit in cognoscente eo modo quo est in cognito*“ (S. th. I, 84, 1, c.). „*Plato, ea quae possunt separari secundum intellectum, ponebat etiam secundum esse separata*“ (De *Veritate*, 21, 4, c.). Und schließlich stammt, wie Thomas sagt, aus der Nichtbeachtung dieser ontologischen Zwiefältigkeit die Objektivierung des Bösen als eines Seienden: „*Propter huius autem distinctionis ignorantiam, aliqui, considerantes quod aliquae res dicuntur malae, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt quod malum esset res quaedam*“ (S. th. I, 48, 2, 2m).

„*Ens et verum convertuntur*“ ist also bei Thomas nicht ein akademischer Satz. Denn Thomas sagt in ihm nicht nur, daß das Denken und das Sein in einem schöpferischen *intellectus divinus* identisch sind, sondern auch, daß sie im

menschlichen Geiste vermennt sind. Man kann also mit Recht sagen: *Ens et verum convertuntur et . . . confunduntur*.

Zusammenfassend können wir sagen, daß sich die Quelle der ontologischen Zwiefältigkeit, vor der Thomas die Philosophie, die Theologie, das Denken und das Sein des Menschen bewahren will, indem er unsere Aufmerksamkeit auf die ontologische Dichotomie „ens ut actus essendi et ens ut verum“ lenkt, *im Wesen des menschlichen Geistes findet*. Diese Dichotomie betrifft also nicht nur die Spezialisten der Philosophie; sie betrifft jeden Menschen, und zwar in seinem Wesen. Thomas von Aquin läßt uns durch seine Dichotomie ein, daß wir immer mehr das denken, was schon gedacht und noch denkbar ist, aber daß wir nie *von uns selbst her* denken oder suchen wollen, was undenkbar und unfindbar ist. Denn diese Gefahr ist unausweichlich und stellt sich immer ein. Und diese Gefahr zeigt sich nicht nur in vordergründigen Reden von den Sachen selbst, in den Objektivierungen unseres Geistes und in der Geschichte der Philosophie und Theologie, sondern auch im Wesen unserer anima humana.

Dies ist – so meinen wir – der wahre Sinn der ontologischen Dichotomie bei Thomas von Aquin. Das mag genügen, obwohl wir wissen, daß sie noch mehr bedacht werden muß<sup>19</sup>.

### Anhang I

#### Texte zur ontologischen Dichotomie

##### Vorbemerkungen:

1. Da unsere Interpretation der Dichotomie „ens ut actus essendi et ens ut verum“ auf den Textbefund fundiert ist, wollen wir in diesem Anhang I die wichtigsten Texte dem Leser vor Augen stellen. Jeder Text ist mit einer Nummer versehen, auf die die Tabelle der korrelativen Begriffe im Anhang II sich bezieht.
2. Wir sind uns wohl dessen bewußt, daß sich eine Unzahl für unsere These in Frage kommender korrelativer Begriffe im Werke des Thomas von Aquin finden, wie z. B.: ens per se – ens per accidens, modus rei in existendo – modus intelligentis in intelligendo, existentia rei – modus praecandi, veritas rei – veritas intellectus humani, secundum esse – secundum intellectum, quoad se – quoad nos usw. Selbstverständlich können nicht alle im Rahmen dieser Arbeit ausdrücklich behandelt werden, obwohl sie für unsere These von nicht geringerer Bedeutung sind.

<sup>19</sup> Wir stellen hier einige wesentlichen Fragen: Besagen die ontologische Dichotomie bei Thomas von Aquin und die Dichotomie bei Kant nicht im Grunde dieselbe Sache? Ist nicht der actus essendi bei Thomas das Noumenon bei Kant? Und das ens ut verum das Phaenomenon bei Kant? Ist nicht auch das Subjekt der beiden Dichotomien dasselbe: einerseits das „ens“ in seiner Allgemeinheit bei Thomas und andererseits „alle Gegenstände überhaupt“ bei Kant? Ist nicht schließlich der Grund der beiden Dichotomien derselbe: die endliche anima humana einerseits und die endliche Erkenntnis, der intellectus ectypus andererseits? Besagen der intellectus divinus bei Thomas und der intellectus archetypus bzw. der intuitus originarius bei Kant nicht im Grunde dieselbe Sache?

Wer sieht nicht, daß all das einen Kreis von so weiten und schwierigen Problemen enthält, daß es unmöglich ist, auch nur eine Skizze ihrer Lösung im Rahmen dieses Vortrags geben zu können?

3. Um das Verständnis der Texte zu erleichtern, werden sie zusammen mit den ihnen zugehörigen Überschriften und die Antwort-Texte mit ihren Einwänden angeführt.
4. Die historische Problematik der korrelativen Begriffe, deren wir uns wohl bewußt sind, kann hier nicht berührt werden. Es scheint uns wichtig zu bemerken, daß der Ausdruck „actus essendi“ nicht von Thomas, sondern – wie er selbst sagt – von Avicenna stammt (I Sent. 8, 1, 1, c.).

1. *Summa th. I, 3, 4; Utrum in Deo sit idem essentia et esse?*

*Einwand 2:* Praeterea, de Deo scire possumus an sit, ut supra dictum est. Non autem possumus scire quid sit. Ergo, non est idem esse Dei et quod quid est eius, sive quidditas vel natura.

*Antwort:* Ad secundum dicendum, quod esse dupliciter dicitur: uno modo significat *actum essendi*; alio modo significat *compositionem propositionis*, quam anima adinvenit coniungens praedicatum subjecto. – Primo igitur modo accipiendo esse, non possumus scire esse Dei sicut nec eius essentiam, sed solum secundo modo. Scimus enim, quod haec propositio quam formamus de Deo, cum dicimus „Deus est“, vera est. Et hoc scimus ex eius effectibus, ut supra dictum est.

2. *Summa th. I, 48, 2: Utrum malum inveniatur in mundo?*

*Einwand 2:* Praeterea, ens et res convertuntur. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur quod malum sit res quaedam. Quod est contra praedicta.

*Antwort:* Ad secundum dicendum, quod sicut dicitur in V. Metaphysicorum, *ens dupliciter dicitur*. Uno modo, secundum quod significat *entitatem rei*, prout dividitur per decem praedicamenta; et sic convertitur cum re. Et hoc modo nulla privatio est ens: unde nec malum. Alio modo dicitur ens, quod significat *veritatem propositionis*, quae in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum „est“: et hoc est ens quo respondetur ad quaestionem „an est?“. Et sic caecitatem dicimus esse in oculo, vel quamcumque aliam privationem. Et hoc modo etiam malum dicitur ens. – Propter huius autem distinctionis ignorantiam, aliqui, considerantes quod aliquae res dicuntur malae, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt quod malum esset res quaedam.

3. *Summa C. G. I, 12: De opinione dicentium, quod Deum esse sola fide tenetur, et demonstrari non potest.*

*Einwand 1:* Ad hoc autem dicendum moti sunt quidam propter debilitatum rationum, quas aliqui inducebant ad probandum Deum esse. – Posset tamen hic error fulcimentum aliquod falso sibi assumere ex quorundam philosophorum dictis, qui ostendunt, per rationem, in Deo idem esse essentiam et esse, scilicet id quo respondetur ad „quid est?“ et ad quaestionem „an est?“. Via autem rationis perveniri non potest, ut sciatur de Deo quid est. Unde nec ratione videtur posse demonstrari an Deus sit.

*Antwort:* Nec hoc debet movere, quod in Deo idem est essentia et esse, ut prima ratio proponebat. Nam hoc intelligitur de *esse quo Deus in seipso subsistit*, quod nobis quale sit ignotum est, sicut eius essentia. Non autem intelligitur de *esse*, quod significat *compositionem intellectus*. Sic enim esse Deum sub demonstratione cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur huiusmodi propositionem de Deo formare, qua exprimit Deum esse.

4. *Summa C. G. I, 68: Quod Deus cognoscit motus voluntatis.*

Omne enim quod quocumque modo est, cognoscitur a Deo, in quantum suam essentiam cognoscit, ut supra (c. 49) ostensum est. *Ens* autem quoddam *in anima* est, quoddam vero *in rebus extra animam*. Cognoscit igitur Deus omnes huiusmodi entis differentias, et quae sub eis continentur. Ens autem in anima est quod est in voluntate vel cogitatione. Relinquitur ergo, quod Deus ea quae sunt in cogitatione et voluntate cognoscat.

5. *Summa C. G. III, 7: Quod malum non est aliqua natura.*

*Einwand 6 (c. 8):* Praeterea, res et ens convertuntur. Est autem malum in mundo. Ergo, est res aliqua et natura.

*Antwort (c. 9):* Dicitur etiam malum esse in mundo, non quasi essentiam aliquam habeat vel res quaedam existat, ut sexta ratio procedebat, sed ea ratione, quia dicitur quod res aliqua mala est ipso malo, sicut caecitas et quaelibet privatio esse dicitur, quia animal caecitate est caecum. *Ens* enim dupliciter dicitur, ut Philosophus docet (Metaph. V, text. comm. 14): Uno modo, secundum quod significat *essentiam rei* et dividitur per decem praedicamenta, et sic nulla privatio potest dici ens; alio modo, secundum, quod significat *veritatem propositionis*, et sic malum et privatio dicitur ens inquantum privatione dicitur aliquid esse privatum.

6. *De Veritate I, 1: Videtur, quod verum sit omnino idem quod ens.*

*Einwand 1:* Augustinus enim in lib. Solil. c. 5. dicit, quod „verum est id quod est“. Sed „id quod est“ nihil est nisi ens. Ergo, verum idem omnino significat quod ens.

*Antwort:* Ad primum ergo, dicitur, quod definitio illa Augustini datur de vero secundum id, quod habet fundamentum in re, et non secundum id, quod veri ratio completur in adaequatione rei ad intellectum. – Vel dicendum, quod cum dicitur „Verum est id quod est“, non accipitur ibi secundum quod significat *actum essendi*, sed secundum quod est nomen intellectus compositi, scilicet prout significat *affirmationem propositionis*, ut sit sensus: „Verum est id quod est“, id est cum dicitur de aliquo quod est, et sic in idem redeat definitio Augustini cum definitione Philosophi supra inducta.

7. *De Veritate I, 10: Utrum aliqua res sit falsa? Videtur quod non.*

*Einwand 1:* Quia, secundum August. in lib. Solil. II, c. 5 „Verum est id quod est“. Ergo falsum est id quod non est. Sed quod non est, non res aliqua. Ergo, nulla res est falsa.

*Antwort:* Ad primum ergo dicendum, quod ista definitio „Verum est id quod est“ non perfecte exprimit rationem veritatis, sed quasi materialiter tantum, nisi secundum quod „esse“ significat *affirmationem propositionis*, scilicet ut dicatur id esse verum, quod sic esse dicitur vel intelligitur ut in re est. Et sic etiam falsum dicatur „Quod non est“, quod non est ut dicitur vel intelligitur, et hoc in rebus inveniri potest.

8. *De Potentia VII, 2: Utrum in Deo sit substantia vel essentia idem quod esse? Et videtur quod non.*

*Einwand 1:* Dicit enim Damascenus in I lib. Orth. Fidei c. 1 et 3: „Quoniam quidem Deus est, manifestum est nobis; quid vero sit secundum substantiam et naturam, incomprehensibile est omnino et ignotum. Ergo, non est idem esse Dei et substantia vel essentia eius.

*Antwort:* Ad primum ergo dicendum, quod *ens* et *esse* dicitur dupliciter, ut patet V. Metaph. Quandoque enim significat *essentiam rei* sive *actum essendi*; quandoque vero significat *veritatem propositionis*, etiam in his quae esse non habent, sicut dicimus „caecitas est“, quia verum est hominem caecum esse. Cum ergo dicat Damascenus, quod esse Dei est nobis manifestum, accipitur esse Dei secundo modo, et non primo. Primo enim modo est idem esse Dei quod est substantia: et sicut eius substantia est ignota, ita et esse. Secundo autem modo scimus quoniam Deus est, quoniam hanc propositionem in intellectu nostro concipimus ex effectibus ipsius.

9. *De Malo I, 1: An malum sit aliquid? Et videtur quod sic.*

*Einwand 19:* Praeterea, si bonitas, non esset aliquid, nihil esset bonum. Ergo similiter, si malitia non esset aliquid, nihil est malum. Sed constat multa mala esse. Ergo malitia aliquid est.

*Antwort:* Ad decimumnonum dicendum, quod *ens* dicitur dupliciter. Uno modo, secundum quod significat *naturam decem generum*; et sic neque malum, neque privatio aliqua est ens neque aliquid. Alio modo, secundum quod respondetur ad *quaestionem* „an est?“; et sic malum est, sicut et caecitas est. Non tamen malum est aliquid, quia esse aliquid non solum significat quod respondetur ad *quaestionem* „an est?“, sed etiam quod respondetur ad *quaestionem* „quid est?“.

10. *Quodlib. II 2, 1: Utrum angelus substantialiter sit compostus ex essentia et esse?*

Respondeo dicendum, quod dupliciter aliquid de aliquo praedicatur: uno modo essentiali-

ter, alio modo per participationem . . . Sed sciendum est, quod aliquid participatur dupliciter:

Uno modo, quasi existens de substantia participantis, sicut genus participatur a specie. Hoc autem modo esse non participatur a creatura. Id enim est de substantia rei, quod cadit in eius definitione. *Ens* autem non ponitur in definitione creaturae, quia nec est genus nec differentia. Unde participatur sicut aliquid non existens de essentia rei; et ideo alia quaestio est „an est?“ et „quid est?“ Unde omne quod est praeter essentiam rei, dicatur accidens, *esse quod pertinet ad quaestionem „an est?“*, est accidens. Et ideo Commentator dicit in V. Metaphysic., quod ista propositio „Socrates est“ est de accidentali praedicato, secundum quod importat vel *entitatem rei*, vel *veritatem propositionis*. Sed verum est, quod hoc nomen ens, secundum quod importat rem cui competit huiusmodi esse, sic significat *essentiam rei* et dividitur per decem genera . . .

11. *Quodlib. IX, 2, 2: Utrum in Christo sit unum tantum esse?*

Respondeo dicendum, quod *esse* dupliciter dicitur, ut patet per Philosophum in V. Metaph., et in quadam Glossa Origenis super principium Ioan.

Uno modo, secundum quod est *copula verbalis* significans *compositionem* cuiuslibet enuntiationis quam anima facit: unde hoc esse non est aliquid in rerum natura, sed tantum in actu animae componentis et dividens. Et sic esse attribuitur omni ei, de quo potest propositio formari, sive sit ens, sive privatio entis; dicimus enim caecitatem esse.

Alio modo, esse dicitur *actus entis inquantum est ens*, idest quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura. Et sic esse non attribuitur nisi rebus ipsis quae in decem generibus continentur; unde ens a tali esse dictum per decem genera dividitur . . .

12. *De ente et essentia, c. 1: Quid significetur communiter nomine entis et essentiae?*

Sciendum est ergo quod, sicut in V. Metaph. Philosophus dicit, *ens per se* dicitur dupliciter: uno modo *quod dividitur per decem genera*, alio modo quod significat *propositionum veritatem*. Horum autem differentia est quia secundo modo potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat; per quem modum privationes et negationes entia dicuntur; dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi, et quod caecitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici ens nisi quod aliquid in re ponit; unde primo modo caecitas et huiusmodi non sunt entia. Nomen igitur essentiae non sumitur ab ente secundo modo dicto; aliqua enim hoc modo dicuntur entia quae essentiam non habent, ut patet in privationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Unde Commentator in eodem loco dicit, quod ens primo modo dictum est quod significat *essentiam rei*. Et quia, ut dictum est, ens hoc modo dictum dividitur per decem genera, oportet quod essentia significet aliquid commune omnibus naturis per quas diversa entia in diversis generibus et speciebus collocantur . . .

13. *De natura generis, c. 2: Quot modis dicatur ens?*

Sciendum est igitur quod in V. Metaph. cap. 7, dividitur *ens* quadrupliciter. Prima . . . Secunda vero divisio entis est quod ens uno modo dicitur substantia, alio modo accidens; et haec est divisio entis secundum quod ens dividitur per *decem praedicamenta* . . . Tertio modo dicitur ens, quod significat *compositionem propositionis* quam facit intellectus componens et dividens, cuius compositionis veritas est veritas rei pro causa; eo enim quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Veritas enim propositionis significatur enim per hoc verbum „est“, quae comparatur ad essentiam seu existentiam rei sicut effectus ad suam causam; ex hoc enim quod aliquid in rerum natura est sequitur veritas in propositione, quae illud significat per hoc verbum „est“.

Sed quia illud, quod in se est non-ens, intellectus accipit ut ens, sicut est negatio et privatio, ideo talia dicuntur esse quando formatur propositio de eis per ipsam copulam „est“, licet non respondeat esse ex parte rei, eo quod talia essentias non habeant, quae sunt principia existendi. Et hoc ideo est, quia accidit rei quod de ea aliquid dicatur voce per intellectum, cum res non referatur ad scientiam, sed e converso.

14. *I Sent. 19, 5, 1: Utrum veritas sit essentia rei?*

*Einwand 1:* Dicit enim Aug. lib. Soliloquiorum, quod „verum est id quod est“. Et ab aliis dicitur, quod verum est indivisio esse et eius quod est. Ergo, unumquodque dicitur verum secundum quod habet esse. Esse autem est actus essentiae. Ergo, cum unumquodque veritate sit formaliter verum, videtur quod omnino idem sit veritas et essentia.

*Antwort:* Ad primum igitur dicendum, quod esse dupliciter dicitur. Uno modo secundum quod ens significat *essentiam* rerum, prout dividitur per decem genera. Alio modo, secundum quod esse significat *compositionem quam anima facit*, et istud ens Philosophus appellat „verum“. Et similiter, Augustinus cum dicit, quod „Verum est id quod est“, quasi dicat: verum est quando dicitur de eo quod est. Et similiter intelligitur quod dicitur „Verum est indivisio esse et eius quod est“. – Et si in negativis sit veritas, quae non consistit in compositione, sed in divisione, tamen veritas negativae fundatur supra veritatem affirmativae, cuius signum est, quod nulla negativa probatur nisi per aliquam affirmationem. Vel potest dici, quod definitiones istae dantur de vero non secundum completam sui rationem, sed secundum illud quod fundatur in re.

15. *I Sent. 33, 1, 1: Utrum relationes divinae sint divina essentia?*

*Einwand 1:* Aut nomina quae relative in Deo dicuntur sunt relativa secundum esse, aut tantum secundum dici. Sed non tantum secundum dici, quia sic incideret haeresis Sabellii, ut supra in notula Hilarii (dist. 31, in expos. text.) habitum est. Ergo sunt relativa secundum esse. Sed talium relationum, secundum Philosophum (in Praedic. cap. de „Ad aliquid“) esse, est ad aliud se habere. Ergo, cum essentiae divinae esse non sit ad aliud se habere, sed sit esse absolutum, videtur quod non sit idem cum relatione, quae secundum esse ad aliud est.

*Antwort:* Ad primum igitur dicendum, quod relationes istae non sunt tantum secundum dici ad aliquid, sed etiam secundum esse. Sed sciendum, quod esse dicitur dupliciter. Uno modo dicitur esse ipsa *quidditas vel natura rei*, sicut dicitur quod definitio est oratio significans quid est esse; definitio enim quidditatem rei significat. Alio modo dicitur esse ipse *actus essentiae*; sicut vivere, quod est esse viventibus, est animae actus; non actus secundum, qui est operatio, sed actus primus. Tertio modo dicitur esse quod significat *veritatem compositionis* in propositionibus, secundum quod „est“ dicitur *copula*: et secundum hoc est in intellectu componente et dividente quantum ad sui complementum, sed fundatur in esse rei, quod est actus essentiae, sicut supra de veritate dictum est dist. 19, q. 5, a. 1. Dico igitur quod cum dicitur „Ad aliquid sunt, quorum esse est ad aliud se habere“, intelligitur de esse quod est quidditas rei . . .

16. *II Sent. 34, 1, 1: Utrum malum sit?*

Respondeo dicendum, quod Philosophus (in Metaph. text. 14) ostendit quod ens multipliciter dicitur. Uno enim modo dicitur ens *quod per decem genera dividitur*: et sic ens significat aliquid in natura existens, sive sit substantia, ut homo, sive accidens, ut color.

Alio modo dicitur ens, quod significat *veritatem propositionis*, prout dicitur, quod affirmatio est vera, quando significat esse de eo quod est; et negatio, quando significat non esse de eo quod non est. Et hoc ens compositionem significat, quam intellectus componens et dividens adinvenit.

Quaecumque ergo dicuntur entia quantum ad primum modum, sunt entia quantum ad secundum modum, quia omne quod habet naturale esse in rebus, potest significari per propositionem affirmativam esse, ut cum dicitur: color est, vel homo est. – Non autem omnia quae sunt entia quantum ad secundum modum, sunt entia quantum ad primum: quia de privatione, ut de caecitate, formatur una affirmativa propositio, cum dicitur „caecitas est“; nec tamen caecitas est aliquid in rerum natura, sed est magis alicuius entis remotio. Et ideo, etiam privationes et negationes dicuntur esse entia quantum ad secundum modum, sed non quantum ad primum.

Ens autem secundum utrumque istorum modorum diversimode praedicatur: quia secundum primum modum acceptum, est *praedicatum substantiale*, et pertinet ad quaestionem „quid est?“. Sed quantum ad secundum modum, est *praedicatum accidentale*, ut Commentator ibidem dicit, et pertinet ad quaestionem „an est?“.

Sic ergo accipiendo ens secundo modo dictum, prout quaestio quaerebat, simpliciter dicimus mala esse in universo . . .

17. *II Sent. 37, 1, 2: Utrum omne ens sit a Deo?*

*Einwand 1:* Videtur quod non omne ens a Deo sit. Verum enim et ens convertuntur. Sed aliquem peccare est verum, quod non est a Deo. Ergo non omne quod est, a Deo est.

*Einwand 3:* De quocumque vere potest dici quod est, ipsum est ens. Sed verum est dicere deformitatem peccati esse. Ergo, deformitas peccati non est a Deo. Ergo non omne ens est a Deo.

*Antwort 1:* Ad primum ergo dicendum, quod *verum* dupliciter potest considerari. Vel secundum quod fundatur in re, et hoc modo, hoc quod dicitur istum peccare, non habet veritatem, immo per recessum a veritate peccatum incidit, si sumatur veritas quae in re est, per quam quis implet id quod a Deo ordinatum est. — Vel secundum quod completur operatione animae compositionem formantis, in qua est veritas, prout significat vel intelligit rem eo modo quo est: et sic quod est istum peccare, est quoddam ens rationis, aut verum dicitur. Et sic a Deo est. Non enim nisi a Deo esse potest talis rectitudo, ut intellectus rem accipiat eo modo quo est, et eodem modo verbis eam exprimat.

*Antwort 3:* Ad tertium dicendum, quod, ut supra dictum est, *ens* dicitur dupliciter. Uno modo significat *essentialiam* rei extra animam existentis; et hoc modo non potest dici ens deformitas peccati, quae privatio quaedam est; privationes enim essentialis non habent in rerum natura. Alio modo, secundum quod significat *veritatem propositionis*, et sic deformitas dicitur esse, non propter hoc quod in re esse habeat, sed quia intellectus componit privationem cum subjecto, sicut formam quandam. Unde sicut ex compositione formae ad subjectum, vel ad materiam consequitur quoddam esse substantiale, ita etiam intellectus compositionem privationis cum subjecto per quoddam esse significat. Sed hoc esse non est nisi esse rationis, cum in re sit potius non esse. Et secundum hoc quod in ratione esse habet, constat quod a Deo est.

18. *III Sent. 6, 2, 2: Utrum in Christo sit tantum unum esse?*

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum V. Metaph., *esse* duobus modis dicitur: Uno modo, secundum quod significat *veritatem propositionis*, secundum quod est copula; et sic, ut Commentator ibidem (text. 6) dicit, ens est praedicatum accidentale. Et hoc esse non est in re, sed in mente quae coniungit subjectum cum praedicato, ut dicit Philosophus in VI. Metaph. Unde de hoc non est hic quaestio.

Alio modo dicitur esse quod pertinet ad *naturam rei*, secundum quod dividitur secundum decem genera. Et hoc quidem esse in re est, et est *actus entis* resultans ex principiis rei, sicut lucere est actus lucentis.

19. *In Metaph. V, 1, 9: Hic Philosophus distinguit quot modis dicitur ens*

n. 889: Deinde cum dicit „secundum se“, distinguit modum entis per se, et circa hoc tria facit: Primo distinguit *ens quod est extra animam* per *decem* praedicamenta, quod est ens perfectum. Secundo ponit alium modum entis, secundum quod est tantum *in mente* . . . Dicit ergo primo, quod illa dicuntur esse secundum se, quaecumque significant figuras praedicationis. Sciendum est enim quod ens non potest hoc modo contrahi ad aliquid determinatum, sicut genus contrahitur ad species per differentias . . .

n. 895: Deinde cum dicit „Amplius autem“, ponit alium modum entis, secundum quod *esse* et *ens* significant *compositionem propositionis*, quam facit intellectus componens et dividens. Unde dicit, quod esse significat veritatem rei. Vel sicut alia translatio melius habet „quod esse significat“, quia aliquid dictum est verum. Unde veritas propositionis potest dici veritas rei per causam. Nam ex eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est. Cum enim dicimus aliquid esse, significamus propositionem esse veram. Et cum dicimus non esse, significamus non esse veram.

n. 896: Sciendum est autem, quod iste secundus modus comparatur ad primum sicut effectus ad causam. Ex hoc enim quod aliquid in rerum natura est, sequitur veritas vel falsitas in propositione, quam intellectus significat per hoc verbum „Est“ prout est verbalis copula.

Sed quia aliquid, quod est in se non-ens, intellectus considerat ut quoddam ens, sicut negationem et huiusmodi, ideo quandoque dicitur esse de aliquo hoc secundo modo, et non primo. Dicitur enim quod caecitas est secundo modo, ex eo quod vera est propositio, qua dicitur aliquid esse caecum; non tamen dicitur quod primo modo vera. Nam caecitas non habet aliquod esse in rebus, sed magis est privatio alicuius esse. Accidit autem unicuique rei quod aliquid de ipsa vere affirmetur intellectu vel voce. Nam res non refertur ad scientiam, sed e converso. Esse vero, quod in sui natura unaquaque res habet, est substantiale. Et ideo, cum dicitur „Socrates est“, si ille „est“ primo modo accipiatur, est de praedicato substantiali. Nam ens est superius ad unumquodque entium, sicut animal ad hominem. Si autem accipiatur secundo modo, est de praedicato accidentali.

20. *In Metaph. V, 1. 14: Hic incipit distinguere nomina significantia partes entis*  
n. 971: . . . ponit alium modum, quo dicuntur aliqua impossibilia, non propter privationem alicuius potentiae, sed propter repugnantiam terminorum in propositionibus. Cum enim „posse“ dicatur in ordine ad „esse“, sicut *ens* dicitur non solum *quod est in rerum natura*, sed secundum *compositionem propositionis* prout est in ea verum vel falsum; ita etiam possibile et impossibile dicitur non solum propter potentiam vel impotentiam rei, sed propter veritatem et falsitatem compositionis vel divisionis in propositionibus. Unde impossibile dicitur cuius contrarium est verum de necessitate . . .
21. *In Metaph. VI, 1. 4: Hic determinat de ente, quod significat veritatem propositionis*  
n. 1230: Manifestat quoddam quod dixerat, scilicet quod verum et falsum sint in compositione et divisione. Quod quidem probat per modum cuiusdam divisionis. Eorum enim, quae dicuntur voce, quaedam sunt *in rebus extra animam*, quaedam autem sunt *in anima tantum*.
22. *In Metaph. X, 1. 3: Determinat de uno qualiter se habeat ad substantiam*  
n. 1981: . . . Avicenna posuit, quod unum et ens sunt praedicata accidentalia, et quod significant naturam additam supra ea de quibus dicuntur. Deceptus enim fuit ex aequivocatione unius . . .  
n. 1982: Similiter etiam deceptus est ex aequivocatione *entis*. Nam ens quod significat *compositionem propositionis* est praedicatum accidentale, quia compositio fit per intellectum secundum determinatum tempus. Esse autem in hoc tempore vel in illo, est accidentale praedicatum. Sed *ens quod dividitur per decem praedicamenta* significat ipsas naturas decem generum . . .
23. *In Metaph. XI, 1. 8: De ente imperfecto*  
n. 2283: Ostendit, quod ens per accidens, et ens quod significat veritatem propositionis, praetermittendum est in ista scientia; dicens, quod est quoddam *ens* „quod est ut vere ens“, idest quod significat *veritatem propositionis*, quae in compositionibus consistit, et est per accidens. Sed primum consistit in compositione intellectus, et est quaedam passio circa operationem animae. Unde huiusmodi entis non quaeruntur principia in scientia, quae considerat de ente quod est *extra animam* et est separabile, ut supra dictum est.

## Anhang II

Tabelle der korrelativen Begriffe

Ens(esse) significat(dicitur):

| Primo modo                                    | Num. Text.                      | Secundo modo                                | Num. Text.                                     |
|---|---------------------------------|---|--|
| Actum   |                                 |   |  |
| essendi                                       | 1, 6, 8                         | anima facit                                 | 1, 11, 14.                                     |
| primum  | 15                              | Compositionem intellectus                   | 17   |
| entis   | 11, 18                          | adinvenit                                   | 3  |
| essentiae                                     | 15                              | propositionis                               | 1, 13, 19                                      |
|   |                                 |   | 20, 22   |
|   |                                 | enuntiationis                               | 11   |
| Extra animam                                  | 4, 11, 17,<br>19, 20, 21,<br>23 | In anima (in mente)                         | 4, 14, 19,<br>21                               |
| Entitatem rei                                 | 2, 10                           | Veritatem compositionis<br>propositionis    | 2, 5, 8<br>10, 12,<br>15, 16,<br>17, 18,<br>23 |
| Esse quo(aliqu.) in<br>seipso subsistit       | 3                               |   |  |
| Essentiam rei                                 | 5, 8, 10, 12,<br>14, 17         | Affirmationem propositionis                 | 6, 7   |
| Naturam decem generum                         | 9, 18, 22                       | Copulam ut notam „est“                      | 2, 11, 13                                      |
| Praedicatum substantiale                      | 16, 19                          | Praedicatum accidentale                     | 10, 16, 19                                     |
| Quo respondetur ad<br>quaestionem „quid est?“ | 9, 16                           | Quo respondetur ad<br>quaestionem „an est?“ | 2, 9, 10,<br>16                                |